



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Et primo, vtrum omnia peccata, & vitia sint connexa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Ex omissione autem ignorantia, & negligentia, qua sunt species omissionis, quia in huiusmodi peccatis interuenit omisio, uel scienter, uel consilij, uel sollicitudinis: omisio autem propria speciem sortitur non ex actu, cui per accidens annectitur, sed ex proposito genere, etiam si nullus interueniat actus. Quia omittit audire Missam,

vacans illa hora ludendo, non specificatur omisio ex actu ludendi, quia per accidens iungitur omissionis peccato, sed ex diuino cultu, cui contrariatur omisio illa.

Vnde in huiusmodi peccatis tantum mali est, quantum omisio, si secum suas species habent. Sed hoc nihil est, quia peccata ista sunt peccata commissiois. Occidens enim hominem improuide sagittando, dicens malum de proximo non animo detrahendi, absolvens ignoranter aliquem a peccato, uel cenens, a qua non potest, & alia huiusmodi, non omittendo, sed committendo contra legem peccant. Præterea, hoc non est solvere, sed quasi mutare questionem, nam commune est omissionibus, & omissionibus, quod omnes sub eodem fine motu cadentes, ad eandem speciem spectent. Vnde sicut querimus per se obiecta commissiois, ita & omissionum, nisi quod in omissione non oportet ponere obiectum positum uoluntati, sed negative uoluntarium, & per se, sicut ipsam omissionem. Aliter dicitur, quod nulla est in dictis authoris dilectio: & quod huiusmodi actus sunt in propriis speciebus suorum per se formaliter, & directe obiectorum tantum.

Ad quorum evidentiam scire oportet, quod aliud est loqui de uoluntario, & aliud de uoluntario specificante. Non enim sufficit ad actionem specificantis in moralibus, quod sit uoluntarium, sed plus exigitur: iam enim dictum est quod peccatum non habet speciem ex auersione, & constat quod auersio est uoluntaria. Quod autem sit illud plus, colligitur ex dictis. Cum enim actus moralis ex obiecto, seu sine specie habet, & constat quod intelligitur de obiecto formaliter, sicut uoluntarietate cum de specificatione actuum & potentiarum ex obiectis dicitur: & quia quod est per accidens, extra speciem est, oportet etiam quod intelligatur de obiecto per se: & quia in per se, & formaliter obiectum actus directe tendit ad actum, ut patet inducitur, consequens est ut de obiecto directe intelligatur, & sic ad hoc quod obiectum specificet actum uoluntatis, exigitur quod sit formaliter per se, & directe intentum non exigitur, exigitur autem quod sit primo intentum. Sicut quod sit per se formaliter, & directe, secundario tamen intentione: sicut cum quis uult mochari, ut furetur, uoluntate specificatur ab utroque, licet a furto principaliter. Circumstantia igitur specificans, eo ipso quod inceditur latitudinem specificationum, oportet obiectum ordinem intrare, & differentiam, seu conditionem obiecti ponere formaliter, & directe intentam. Cuius autem nullum ex ignorantia incursum sit per se, & directe uoluntatis, est quod nulla huiusmodi conditio, seu circumstantia sit peccati speciem. Nec est uerum, quod actus fiat de bono malus ex huiusmodi ignotis conditionibus, sed fit de malo peior, aut pluribus modis malus. Sagittans enim improuide, actum facit moraliter malum, etiam si nullum contingat illi, quoniam

significat species peccatorum, sed pertinent ad unam & eandem peccati speciem. Quandoque uero contingit, quod corruptiones diuersarum circumstantiarum proueniunt a diuersis motiuis, puta, quod aliquis prapropere comedit, potest prouenire ex hoc, quod homo non potest ferre dilationem cibi propter facilem consumptionem humiditatis: quod uero appetat immoderatum cibum, potest contingere propter uirtutem naturalem potentem ad conuertendum multum cibum. Quod autem aliquis appetat cibos deliciosos, contingit propter appetitum delectationis, quæ est in cibo: unde in talibus diuersarum circumstantiarum corruptiones inducunt diuersas peccati species.

Ad primum ergo dicendum, quod malum inquam huiusmodi, priuatio est: & ideo diuersificatur specie secundum ea, quæ priuantur, sicut & cetera priuationes: sed peccatum non priuatio speciei ex parte priuationis, uel auersionis, ut supra dictum est, sed ex conuersione ad obiectum actus.

Ad secundum dicendum, quod circumstantia nunquam transfert actum in aliam speciem, nisi quando est aliud motiuum.

Ad tertium dicendum, quod in diuersis speciebus generaliter diuersa sunt motiua, sicut dictum est.

A sagittatio est actus uoluntarius periculosus, & debet fieri quando & ubi scitur, & oportet: quod ab improuido non seruatur. Quando autem leui aliquem contingit, læsio talis aggravat actum iam malum, ut in q. seq. de nocimento aggravante dicitur. Et eodem modo cum quis uerba detractoria non detrahendo, sed otiose dicit, læsio famæ proximi non specificat actum, sed aggravat, obligatque ad restitutionem ratione læsionis. Si quis similiter ex ignorantia absoluitur a quo non potest, non est reus illius actus, sed improuidi, seu ignorantis actus quo ad moralem speciem: secus autem uidetur quo ad penas positui iuris: quoniam iuris dispositioni standum est. Si enim uerbi gratia dicatur, Si quis auerit, uel præsumpserit ablutere, sit excommunicatus, contra faciens ex ignorantia, excusatur a pena: quia excusatur ab actu per se formaliter: & directe uolito: quod audacie, presumptionis, & similibus nominum ratio insinuat. Si uero dicatur, Si quis absoluerit, incidere uideatur in Canonem, eo quod sicut potest ius posituum penam ponere excommunicationis actui, etiam de se non illicito, ut patet de religiosis inducentibus ad sepulchras &c. multo magis potest excommunicare pro actu illicito, qualis est actus uoluntarius ex culpabili, etiam uentiliter ignorantia. Reponen-

QVAESTIO LXXIII. De comparatione peccatorum adinuicem in decem articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de comparatione peccatorum adinuicem.

ET CIRCA hoc queruntur decem.

Primo, Vtrum omnia peccata, & uitia sint connexa.

Secundo, Vtrum omnia sint paria.

Tertio, Vtrum grauitas peccatorum attendatur secundum obiecta.

Quarto, Vtrum secundum dignitatem uirtutum, quibus peccata opponuntur.

Quinto, Vtrum peccata carnalia sint grauiora, quam spiritualia.

Sexto, vtrum secundum causas peccatorum attendatur grauitas peccatorum.

Septimo, Vtrum secundum circumstantias.

Octauo, Vtrum secundum quantitatem nocentium.

Nono, Vtrum secundum conditionem personæ, in quam peccatur.

Decimo, Vtrum propter magnitudinem personæ peccantis aggrauetur peccatum.

ARTICVLVS PRIMVS. Vtrum omnia peccata sint connexa.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod omnia peccata sint connexa. Dicitur. n. Iacobi 2.

in solis speciebus suorum per se obiectorum formaliter, & directe uolitorum. Annexa autem & materialiter concurrentia aggrauare quidem, ipse specificare autem non possunt. Sed nec hoc iustificat: quoniam reddi fere in idem cum dicentibus, quod tantum est hoc peccati, quantum omisio, seu negligentia &c. meruit. sola enim maior grauitate differentiam constituit: nec saluatur quod communiter dicitur, scilicet, quod tales sunt homicidæ, & huiusmodi: quia ergo de ignorantia inferus erit ex proposito tractatus. & ex illa hæc penderet, illuc usque solutio difficultatis huius differatur. hæc autem exercebunt ingenium.

Super Questionem septuagesimam tertiam.

IN questione septuagesima tertia usque ad septimum articulum inclusive nihil sciendum occurrit, nisi quod in quarto articulo, responsio ad tertium non te fallat in questione de felicitate, an consistat in actu uoluntatis, eo quod pessimo cum opponatur optimum, & odium Dei sit pessimum, & amor charitatis optimum, & felicitas consistat in optimo, in amore erit felicitas. Propositio namque dicens, quod pessimum optimo contrarium est, intelligitur in rebus habentibus contrarium in rebus autem contrarietate, non habet locum. Vnde lumen gloriæ quod caret contrariario, non propterea definit esse melior habitum quam sit charitas: immo hoc ipsum, quod est esse talem habitum disponentem ad deitatem absque contrarietate, uideatur suæ excellentiæ attestari, quasi propinquissime se habeat ad deitatem, cui non est fas cogitare contrarium.

3. q. 86. artic. 3. Et 3. diff. 36. artic. 5. Et 4. diff. 15. q. 1. art. 3. q. 1. cor. & di. 16. q. 2. cor. & diff. 18. q. 2. artic. 5. q. 3. ad 1.



Quicumq; totam legem seruauerit , offendat autē in vno, factus est oium reus : sed idem est esse reū omnium mā datorum legis, qđ habere omnia peccata: quia sicut * Ambros. dicit, peccatum est transgressio legis diuinae, & caelestiu inobedientia mandatorum . ergo quicumque peccat in vno peccato, subiicitur omnibus peccatis.

Amb. lib. de parad. ca. 8. ante mediū tom. 4.

¶ 2 Præ. Quodlibet peccatum excludit virtutem sibi oppositam: sed qui caret vna uirtute, caret omnibus, ut patet ex ¶ supradictis. ergo qui peccat vno peccato, priuatur omnibus virtutibus: sed qui caret uirtute, habet uitium sibi oppositum. ergo qui habet unum peccatum, habet omnia peccata.

q. 65. arti. 1.

¶ 3 Præ. Virtutes omnes sunt connexæ, quæ conueniunt in uno principio, ut * supra habitum est: sed sicut uirtutes conueniunt in uno principio, ita & peccata: quia sicut amor Dei, qui facit ciuitatem Dei, est principium, & radix omnium uirtutū: ita amor sui, qui facit ciuitatem Babylonis, est radix omnium peccatorum, ut patet per Aug. 14. * De ciuit. Dei. ergo etiam omnia uitia, & peccata sunt connexa, ita ut qui unum habet, habeat omnia.

q. 65. arti. 1. & 2.

Cap. 25. & ult. tom. 5.

SED CONTRA. Quædam uitia sunt sibi inuicem contraria, ut patet per Philosophum in 2. * Ethic. sed impossibile est contraria simul inesse eidem. ergo impossibile est omnia peccata, & uitia sibi esse inuicem connexa.

Cap. 8. to. 5.

RESPON. Dicendum, qđ aliter se habet intentio agentis secundum uirtutem ad sequendum rationem, & aliter intentio peccantis ad diuertendum à ratione. Cuiuslibet n. agentis secundum uirtutem intentio est, ut ipsius rationis regulam sequatur: & ideo oium uirtutum intentio in idem tēdit: & pp hoc omnes uirtutes habent connexionem ad inuicem in ratione recta agibilium, quæ est prudentia, sicut * supradictum est: sed intentio peccantis non est ad hoc, qđ recedat ab eo quod est secundum rationem, sed potius quod tendat in aliquod bonū appetibile, à quo speciem fortitur. Huiusmodi autē bona, in quæ tendit intentio peccantis à ratione recedens, sunt diuersa, nullam d connexionem habentia ad inuicem: immo et interdum sunt contraria. Cum igitur uitia, & peccata speciem habeant secundum illud ad quod conuertuntur, manifestum est, quod secundum illud, quod perficit speciem peccatorum, nullam connexionem habent peccata ad inuicem. Non enim peccatum committitur in accedendo à multitudine ad unitatem, sicut accidit in uirtutibus quæ sunt connexæ, sed potius in recedendo ab unitate ad multitudinem.

q. 65. arti. 1.

D. 103.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Iacobus loquitur de peccato non ex parte conuersionis, secundum quod peccata distinguuntur, sicut * dictum est: sed loquitur de eis ex parte auersionis, in quantum. s. hō peccando recedit à legis mandato. Omnia autem legis mandata sunt ab uno & eodem, ut ipse ibidem dicit: & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato: & ex hac parte dicit, quod qui offendit in vno, factus est omnium reus: quia scilicet uno peccato peccando incurrit pœne reatum ex hoc, quod contemnit Deum, ex cuius contemptu prouenit omnium peccatorum reatus.

in corp. art. & q. 72. ar. 1

q. 71. arti. 4.

AD SECVNDVM dicendum, quod sicut * supra dictum est, non per quemlibet actum peccati, tollitur uirtus opposita. nam peccatum ueniale uirtutem non tollit; peccatum autem mortale tollit uirtutem infusam, in quantum auerit à Deo. sed unus actus peccati etiam mortalis, non tollit habitum uirtutis acquisitæ; sed si multiplicentur actus, in-

tantum quod generetur contrarius habitus, excluditur habitus uirtutis acquisitæ, quæ excluditur prudentia; quia cum hō agit contra quicumque uirtutem, agit contra prudentiam, in qua nulla uirtus moralis esse potest, ut * supra dictum est. & ideo per consequens excluduntur omnes uirtutes morales quantum ad perfectum, & in male esse uirtutis, quod habent secundum quod participant prudentiam; remanent tamen inclinationes ad actus uirtutum non habentes rationem uirtutis. Sed non sequitur, quod propter hoc homo incurrat omnia uitia, uel peccata. Primum quidem, quia uni uirtuti plura uitia opponuntur, ut quod uirtus potest priuari per unum eorum, etiam si alterum eorum non adsit. Secundò, quia peccatum directe opponitur uirtuti, quantum ad inclinationem uirtutis ad actum, ut * supra dictum est: unde remanentibus aliquibus inclinationibus uirtuosus, non potest dici, quod homo habeat uitia, uel peccata opposita.

G

AD TERTIVM dicendū, qđ amor Dei est connexiua, in quantum affectū hominis à multis diuertit in unum: & ideo uirtutes, quæ ex amore Dei continentur, connexionem habent. Sed amor sui diuertit affectum hominis in diuersa, prout. s. homo amat appetendo sibi bona temporalia, quæ sunt uaria, & diuersa, & ideo uitia & peccata quæ cauentur ex amore sui, non sunt connexa.

H

ARTICVLVS II.

Utrum omnia peccata sint paria.

AD SECVNDVM sic proceditur. Vt quod oia peccata sint paria. Hoc. n. peccare est, facere quod non licet: sed facere quæ non licet uno & eodem modo in omnibus reprehenditur. ergo peccatum uno & eodem modo reprehenditur. non est unum peccatum est alio grauius.

¶ 2 Præ. Omne peccatum consistit in hoc, qđ transgreditur regulam rationis, quæ ita se habet ad actus humanos, sicut regula linearis in corporalibus. Ergo peccare simile est ei quod est lineam filire: sed lineas transilire est equaliter, & uno modo etiam si aliquis longius recedat, uel propinquius stet, quia priuationes non recipiunt magis, uel minus. ergo omnia peccata sunt æqualia.

¶ 3 Præ. Peccata uirtutibus opponuntur. sed omnes uirtutes æquales sunt, ut * Tull. dicit in Parad. doxis. ergo omnia peccata sunt paria.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit ad Pilat. Io. 19. Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet, & tamen constat quod Pilatus aliquod peccatum habuit. Ergo unum peccatum est maius alio.

RESPON. Dicendum, qđ opinio Stoicorum fuit, quæ * Tullius prosequit in Parad. doxis, qđ omnia peccata sunt paria. Et ex hoc et deriuatus est quorundam hæreticorum error, qui ponentes oia peccata esse paria, dicunt et oēs pœnas in inferni esse parias quantum ex uerbis Tullij persipici pot. Stoici dicebantur ex hoc, qđ considerabant pœnam ex parte priuationis tantum, prout. s. est recessus à ratione. uel de simplr æstimantes, qđ nulla priuatio sit magis & minus, posuerunt oia peccata esse paria. Sed si quis diligenter consideret, inueniet duplicem priuationū genus. Est. n. quædā simplex, & pura priuatio, quæ consistit quasi in corruptiōe: sicut mortis est priuatio uitæ, & tenebra est priuatio luminis, & tales priuationes non recipiunt magis & minus.

K